

ANN. XVIII - FASC. IV

MENSE APRILI MCMXXXI

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

prodidit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXX, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 400 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 800, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVIII

Romae, Mense Aprili MCMXXXI

Fasc. IV

ALMA ROMA
LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

P. AMBROSIUS BAĆIĆ
ORD. PRAED.

Venerat ad nos, scriptum quod cum lacrimis inferius hīc hodie edimus, latus; nec quisquam ex eius praestanti corpore, hilari ac sereno vultu, humanissimo fluidoque semper sermone suspicari posset, praesentibus eum morbi insidiis esse oppositum, qui paucis diebus post, inter atrocissimos dolores, a vivis crudeliter eripere!

Mortem vero magno aequissimoque animo oppetit, Dei voluntati apprime obnoxius, eaque firma fide et singulari pietate, quibus per omne vitae curriculum enituit et dilectionem antistitum, sodalium, discipulorum, quos plurimos habuit, ipsorumque adversariorum, quibuscum non raro controversias egit, sibi conciliavit.

In oppido Jugoslaviae Vela-luk honestis parentibus natus die xvi mens. iulii MDCCCLXVII, iuvenis admodum ad ministerium sacri se vocatum sensit, et Domini Patris regulam libenter est amplexatus, cuius eximias formas ita comprehensas retinuit, ut in variis, quibus deinde functus est, munieribus, omni eas praeclarae

mentis et animi vi optime repreaesentaverit.

Sed maxime instituendo ac docendo; in quae indesinenter fere incubuit, Graecii primum, Dubrovnik deinde, Romae denique, in quam nostram urbem ab a. MCMIX missus est, ut in nascenti athenaeo Angelico historiam profiteretur. In hac disciplina praesertim thomisticae scholae praecepta penitus perspexit, ut videre est in eius scriptis, quae de vita S. Thomae Aquinatis, de primis thomismi temporibus etc., publici iuris fecit. Quae quidem scripta multarum linguarum sunt, summamque eius doctrinam hinc etiam demonstrant.

Quid de eius comitate dicamus? Fuit omnibus omnisi, Religiosi Ordinis sui monitum amplissime summaque liberalitate componens: «Contemplata aliis trade!» Est igitur iustissima causa quod Dominiciana familia luctum sumat ab immaturo eius interitu, qui factus est die xxix superioris mensis martii; est quod sumat et ALMA ROMA nostra, quae scriptorem aliud amisit doctum, benignum, suique operis amantissimum.

Valeat atque vivat in Christo, nostri usque memor!

I. F.

ROMA CENTRUM ORBIS CATHOLICI
TRIBUS PRIMIS SAECULIS

(MNEMOSYNON).

Iubilaeum sacerdotale Summi Pontificis Pii XI feliciter regnantis, nuper celebratum, ingentem hominum multitudinem ex diversis ac dissitis regionibus orbis catholici Romam adduxit. Iubilaeum illud rurus luculenter demonstravit, urbem Romanam esse centrum orbis catholici, quod mentes et corda hominum non cessat quotidie ad se attrahere. Sic pariter, die XII mensis Februarii proxime elapsi, simile grande spectaculum conspeximus, quando vox viva eiusdem Summi Pontificis per aërem volitans mira ope Marconiana, animos fidelium totius orbis catholici Romam advocabat, illosque venerabundos in spiritu illuc adduxit. Facta haec in mentem revocant continuam illam attractiōnēm, quam iam ab Ecclesiae exordio Roma in Christi fideles semper exercuit. Iuvat ergo, tanquam horum eventuum mnemosynon, facta quaedam historica trium priorum saeculorum in mentem revocare, quae hoc idem demonstrant: Roman scilicet etiam primis illis saeculis consideratam a fidelibus fuisse uti centrum totius orbis catholici.

Propositum nostrum non est quidem omnia et singula facta proferre, quae antiqua documenta et monumenta nobis servarunt, praesertim EUSEBIUS CAESAR in sua *Historia Ecclesiastica*; solum quaedam magis perspicua seligemus. Ex iis enim manifestum fiet, illis tribus saeculis fideles ex omnibus partibus orbis christiani in dubiis fidei Roman oculos convertisse; in controversiis religiosis Romae solutionem quaevisse, Romae pariter confirmationem suae fidei invenisse; illos, qui de orthodoxa fide accusati essent, Romam defensionem suam misisse; illos, qui persecutionem

iniuste paterentur, refugium et protectio nem Romae invenisse. Quid plura? Etiam haereticos, ut suos errores melius tēgere possent, Roman ad suas partes trahere voluisse. Sed ad singula descendamus.

* *

Nondum sonus apostolicae vocis desierat, et iam *Ecclesia Corinthiorum*, quam ipse apostolus Paulus apostolico sudore suo irrigaverat, circa finem saeculi primi ad urbem Roman oculos convertit et medelam suis vulneribus querit. Ecclesia illa diversis perturbationibus dilaniata, et — ut videtur — sicut tempore apostoli Pauli, de nūo mortuorum quaestione de resurrectione agitata (*I Cor.* 15, 12 sqq.), in illis angustiis et quaestionibus consilium et auxilium ab Ecclesia Romana petit. S. Clemens I, tertius successor sancti Petri in Sede Romana, illis malis ecclesiae Corinthiorum occurrit celeberrima *epistula ad Corinthios* scripta circa annum p. C. n. xcv. In ipsa uti supremus Magister et communis amantissimus Pater res discernit et ordinat.¹

Saeculo secundo incipiente, sanctus Ignatius martyr, Antiochenus episcopus, propter fidem christianam ad bestias damnatus, quum Antiochia iter Romam ficeret, septem epistolas scripsit ad diversas Ecclesias. Unam ex illis ad Romanam Ecclesiam direxit, quam cito visurus erat. In illa epistula non solum magnificis verbis Ecclesiae Romanae praerogativas extollit, illam vocans Ecclesiam dilectam et illuminatam voluntate eius, qui vult omnia quae sunt, secundum caritatem Iesu Christi; sed etiam, dicit *illam praesidere universo caritatis coetu*, h.e. universae Ecclesiae; ideo legem Christi habet; Patris nomine est insignita, ideo illam salutat in nomine Iesu Christi, Filii Patris.²

¹ EUSEBIUS, *H. E.*, IV, 23 (MIGNE, P. G., 20, 287); FR. X. FUNK, *Patres Apostolici*, Edidit... Tübingae, 1901, vol. I, p. 98 sqq.

² EUSEBIUS, *H. E.*, III, 36 (MIGNE, P. G., 20, 287 sq.); FUNK, *Patr. Apost.*, vol. I, p. 253.

Sécundo saeculo pariter Hegesypus, ex iudeo christianus factus, quo melius christianam traditionem cognoscere posset, et gnoticos haereticos, qui tunc magnum periculum fidei christiana parabant cum fructu oppugnare posset, ex Oriente Romanum versus iter suscepit, et ibi diu sub Aniceto, Summo Pontifice (CLIV-CLXVI) permansit. Fructus eius investigationis fuit opus, cui titulus erat: *Πέντε ὑπομνήματα*.¹

Per diversa decennia saeculi secundi magna quaestio agitabatur in Ecclesia *de die, quo Pascha Domini Nostri Iesu Christi celebrandum esset*. Ecclesiae Asiae Minoris, provocantes ad traditionem, quam a sancto Ioanne Evangelista acceperant, Pascha celebrabant cum Iudeis semper die XIV mensis Nisan, seu luna XIV, in quacumque diem heboladis incideret.

E contra, Ecclesia Romana et aliae Ecclesiae, provocantes ad SS. Apostolos Petrum et Paulum, festum Paschatis, seu Resurrectionis D. N. I. C., semper celebrabant die Dominica, quae incideret cum die XIV mensis Nisan, vel eam sequeretur. Quae stio haec, propter periculum erroris haereticorum Iudaizantium illius temporis, iam primo saeculi secundi dimidio agitari coepit et perduravit per totum illud saeculum. Praesertim autem quaestione hac commotae fuerunt Ecclesiae Galliae, Achaiae, Ponti, Palaestinae, Aegypti, Asiae Minoris; at per totum illud tempus omnium oculi in Romanam Ecclesiam intenti erant; omnes ad illam, uti ad centrum, pro solvenda quaestione confluabant. Ideo circa medium saeculum secundum sanctus Polycarpus, episcopus Smyrnensis et antiquus Apostolorum discipulus, tempore Aniceti Papae Roman perrexit, ut de hac quaestione cum Summo Pontifice tractaret. Polycrates, episcopus Ephesinorum ad Victorem I Sum-

¹ EUSEBIUS, *H. E.*, V, 23 (MIGNE, P. G., 20, 490 sqq.); Etiam Harnack in quaestione de celebratione Paschatis dicit Roman fuisse centrum totius quaestions: «... zeigt uns der Osterstreit eine christlich-kirchliche Konfederation die von Lyon bis Edessa reicht und in Rom ihrem Mittelpunkt hat. HARNACK A., *Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten*, Leipzig, 1902, p. 545.

«tanquam liberos suos pater amantissimus beatis sermonibus consolando». ¹

Abercius Hieropolitanus Phrygiae salutaris, saeculo secundo Syiae urbes et Nisibin visitaverat, Euphratem transierat, urbem etiam Romanam adivit. In omnibus suis itineribus, ut ipse lingua symbolica loquitur, illum Fides praebat, ubique apponens pro cibo Piscem e fonte maximum et immaculatum, quem Virgo casta prehenderat. Romanum autem adivit, — prosequitur sua lingua symbolica, — quia missus fuit a Pastore sancto, qui pascit in montibus et campus ovium greges; qui habet magnos oculos quoquaversus spectantes: «illum, — inquit, — Romanum misit, ut videret arcem regiam et Reginam in vestitu deaurato et aurocalceata; ibi etiam vidit populum, qui splendidum signum praeserfet». ² Romanum ergo adivit, ut videret sedem Regiae, quae coetu caritatis h. e. toti Ecclesiae praesidet, ut iam Sanctus Ignatius martyr dixerat.

Inter haereses, quae saeculo secundo Ecclesiam exagitarunt, fuit etiam illa *Montanistarum*, qui vitae severitati («rigorismo» vulgo audit) studentes, regnum quoddam, novum regnum perfectionis, regnum sancti Paracliti in Ecclesiam introducere voluerunt. Ab episcopis Asiae Minoris, — ubi factio prodit — damnati, quo finem suum facilius assequi possent, animum ad Romanam Ecclesiam converterunt; volentes illam ad suas partes trahere. Sed detecta eorum fraude, ab Ecclesia Romana reiecti fuere. ³

¹ EUSEBIUS, *H. E.*, IV, 23 (MIGNE, *P. G.*, 20, 387 sq.).

² Εἰς Ῥώμην ὃς ἐπεμψεν ἐπέντειν βασιλείαν ἀθρῆσαι καὶ βασιλισσαν ἰδεῖν χρυσόστολον, χρυσόπεδιλον, λαὸν δὲ ἔιδον ἑκεῖ λαμπρὰν σφραγέῖδαν ἔχοντα... Cfr. KHN H., *Patrologie*, Paderborn, 1904, vol. I, p. 385; KIRCH, C. S. J., *Enchiridion fontium Historiae ecclesiasticae*, 2-3, p. 87.

³ TERTULLIANUS, *Adversus Praxeam*, I (MIGNE, *P. L.*, 2, 178 sq.); EUSEBIUS, *H. E.*, V, 3-4 (MIGNE, *P. G.*, 20, 488); BARDENHEWER, o. c., p. 382.

Turbae a Montanistis in Asia Minore excitae, etiam in Occidente, saeculo secundo exeunte, ecclesiam Lugdunensem turbaverunt. Furebat tunc temporis persequitio contra Christianos sub Marco Aurelio imperatore (CLXI-CLXXX), et maxima pars cleri Lugdunensis in carceribus detinebatur. Ut ergo non solum eorum Ecclesiae, sed universae Ecclesiae pacem conciliarent, ad Romanum Pontificem Eleutherium (CLXXVII-CXC), per Irenaeum, tunc eiusdem Ecclesiae Lugdunensis presbyterum, litteras miserunt, ut Eleutherius sua auctoritate pacem in Ecclesia, quaestionibus Montanistarum agitata, restitueret. ⁴

S. Irenaeus, oriundus ex Asia Minore, ab Ecclesia Lugdunensi in causa Montanistarum Romam missus, redux in Galliam eiusdem Ecclesiae Lugdunensis episcopus constitutus est. Is praesertim contra «Gnosticos» pugnavit. Circa annum cxc celeberrimum illud opus scripsit, quinque libris comprehensum, cui titulus: *Detectio et eversio falso cognominatae gnoseos*; ⁵ vel, ut vulgo appellatur: *Adversus haereses*. In oppugnandis autem Gnosticis provocat ad traditionem apostolicam, quae in diversis Ecclesiis per successores Apostolorum servatur. «Sed — inquit — quoniam valde longum esset in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maxime et antiquissimae et omnibus cognitae, a glorioissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoque modo, vel per sibi placentiam, vel vanam gloriam vel per caecitatem et malam sen-

¹ EUSEBIUS, *H. E.*, V, 4 (MIGNE, *P. G.*, 20, 439 sq.); BARDENHEWER, o. c., p. 400.

² Ἐλεγχος καὶ ἀνατροπὴ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. Cfr. BARDENHEWER, o. c., p. 402.

tentiam praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorē principalitatēm necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fidèles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae ab apostolis traditio». ⁶ — Sic ergo sanctus Irenaeus Romanum, hoc est Romanam Ecclesiam, caput omnium Christifidelium proclamat; Romanae Ecclesiae omnes christiani se conformare debent.

(*Ad proximum numerum*)

AMBROSIUS BAČIĆ, O. P.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA ²

De nominibus substantivis eleganter convertendis.

Latine nomina adiectiva convertuntur: 1º ut adiectivis deficientibus suppleatur; 2º ut elocutio magis expressa evadat; 3º ut dicendi legibus obtemperetur.

Haec autem conversio triplex esse potest:

- 1º unius gradus in alium gradum;
- 2º unius adiectivi in alterum adiectivum;
- 3º unius adiectivi in aliam orationis partem, aut in integrum sententiam.

§ I. — *De nominibus adiectivis, quae de uno gradu ad alium gradum eleganter migrant.*

I. — Pro positivo gradu, superlativum gradum fere requirunt adiectiva laudis aut vituperationis, quae ad nomen proprium,

¹ S. IRENAEUS, *Adversus haereses*, III, 3 (MIGNE, *P. G.*, 7, 848 sq.).

² Cfr. fasc. sup.

intercedente nomine appellativo, referuntur; ⁴ v. g.:

Socrates, homo sapientissimus (= sapiens) (Cic.).

Capua, urbs opulentissima (= opulenta) (Cic.).

Vir fortissimus (= fortis), M. Marcellus (Cic.).

Urbem pulcherrimam (= pulchram) Syracusas incoluem esse passus est (Cic., *Verr.*, II, 2, 2, 4).

Varius homo importunitissimus (= importunus), Drusum ferro sustulerat (Cic., *De Nat. deor.*, III, 33, 81).

Carcer a crudelissimo (= crudeli) tyranno Dionysio factus (Cic.).

II. — Comparativus eleganter absolute, i. e. sine casu, usurpatur loco positivi et adverbiorum «satis, multum» aut «nimium»; ² v. g.:

¹ a) Huius superlativi vis augetur addito «ille»; v. g.: Cato maior, acerrimus ille exagitator (Cic.).

b) Adiectivum nomini proprio immediate non apponitur nisi sit quasi cognomen. Tunc ipsa adiectiva laudis aut vituperationis positivo effertur: v. g.: Laelius *Sapiens*. — Alexander *Magnus*.

c) Huiusmodi adiectiva quandoque superlativo gradu expressa leguntur, etsi non referuntur ad nomen proprium; v. g.: Equites *honestissimi* — Patres *amplissimi*.

d) Nomina adiectiva laudis aut vituperationis quibus superlativi notio includitur, positivo effertur; v. g.: Avunculus tuus, *divinus* ac *singularis* vir (Cic., *De Fin.*, III, 2, 6). Ceterum positivo effertur quum positivo sat laudatur aut vituperatur; v. g.: Callicrates in Siciliam venerat, homo *callidus* et ad fraudem *acutus* (C. N.).

² a) Haec comparativi significatio minime mira videtur ei qui novit ellipsis adesse; v. g.: Loquacior *aequo, iusto, solito*.

b) Potest etiam usurpari adverbium «paulo» cum huiusmodi comparativo; v. g.: Orator *paulo* illustrior — *Paulo* audacior. — Sermo *paulo* intentior.

c) Interdum tamen, nec minus eleganter, pro adverbio «nimium» et positivo, non comparativum, sed nudum positivum usurpant; v. g.: *Angustos* (= nimis angustos) fines habere (CAES.). — *Longum* (= nimis longum) est (Cic.) *Parum* (= nimis parum) prudens (Cic., *Pro Marc.*, 7).

Senectus est natura *loquacior* (= satis loquax) (Cic., *De Sen.*, XVI, 55).

Mitiores (= nimis mites) canes furem quoque adulantur (Col.).

Dolabella non *diutius* (= multum diu) poterit exercitum Cassii sustinere (Cic.).

III. — Quum conferuntur seu comparantur duo adiectiva, utrumque comparativo effertur. Nefas est proinde prius comparativo, posterius positivo reddere; v. g.:

Pauli contio fuit *verior* quam *gratior* populo (Tit. Liv., XXII, 38, 8).

Pestilentia coorta est *minacior* quam *periculosior* (Tit. Liv.).

IV. Loco positivi aut superlativi, comparativum usurpant, quum aperte vel occulte fit comparatio inter duo; ² v. g.:

Italia *superior*, *inferior*. — Scipio *maior*, Scipio *minor*.

Qui *prior* (= primus) impugnare voluit (C. N., *Thrasyb.*, II).

Nondum *valentior* (= valentissimus) imposuerat *infirmitior* (= infirmissimo) manum (Sen., *Epist. ad Lucil.*, 90).

Nos *gravioribus* (= gravissimis) sarcinis onerant (Apul., *Metam.*, 3, 27).

Plerique iniuria *potentiorum* (= potentium) premuntur (Caes., *De bel. gal.*, VI, 13, 2).

Tenuiores (= tenues) (Cic., *De Leg.*, III, 10, 24).

^a) Idem faciendum, quum conferuntur adverbia; v. g.: Alexander hostes *prudentius* quam *avidius* persecutus est (Q. CUR.). Romani bella quaedam *fortius* quam *feliciter* gesserunt (Tit. Liv.).

^b) Loco dupliciti huius comparativi usurpatam potest duplex positivus cum « *magis* »; v. g.: Perfectam artem iuris civilis habebitis, *magis magnam* atque *überem* quam *difficilem* et *obscuram* (Cic., *De orat.*, I, 42, 190). — Deum colamus *magis pie* quam *magnifice* (Cic.).

NB. — Aliiquid discriminis adest inter « *Fortior* quam *prudentior* », et « *Magis fortis* quam *prudens* ».

²) Interdum post huiusmodi comparativum exprimitur genitivus rei totius; v. g.: In hanc sententiam ut discederetur, iuniores *Patrum* evincebant (Tit. Liv., III, 41).

V. — Superlativus, qui supremum gradum exprimit relate ad inferiores, eleganter comparativo redditur, qui in propositione relativa includitur cum « *nemo*, *nullus* », aut « *nihil*, non » ¹; v. g.:

Polybium sequamur, *quo nemo* *suit diligentior* (= *diligentissimum*) (Cic., *De Rep.*, II, 3, 27).

Cato, *quo erat nemo* *fere senior* temporibus illis (Cic., *De Am.*, I, 5).

Punici belli, *quo nullum* *neque maius neque periculosius* *Romani* gessere (Tit. Liv., XXXVI, 53).

Phidiae simulacra, *quibus nihil perfectius* *videmus* (Cic., *Orat.*, 28).

Impedimentum mihi facis, *quo mihi gravius* *abs te nil accidere potest* (Cic.).

Patriam, *qua nihil* *potest esse iucundius*, mihi reddidisti (Cic.).

Philotas Attalo, *quo graviorem inimicum non habui*, sororem suam in matrimonium dedit (Q. Curt., VI, 9). — Rex ille, *quo non alter maior*, misere obiit.

S. Leonardi in Helvetia. J. Iss.

DE GULIELMO MASSAIA

Si quando contingat, ut, quamvis praesens haec praeceps nosque pene conficiens delabatur vita, atque centum et amplius ab ortu effluxerint anni, homo unus vulgo adhuc praedicetur, colatur, diligatur, colligendum procul dubio est, magnum omnino hunc virum exstissem.

^a) Haec dicendi ratio ipsius superlativi vim adauget.

^b) Huiusmodi superlativus retineri potest, immo venuste usurpatur, dummodo in propositione relativa, iucludatur; v. g.: Venit Caesar cum copiis, *quas habet fidelissimas* (Cic.). — De servis suis *quem habuit firmissimum* misit (C. N., *Them.*). — Homo omnium *quos terra sustinet* *sceleratissimus* (SALL., 14, 2).

Quod si vir iste singularis post tantum temporis spatium ita praeterea excellat, ut in sui admirationem omnes plane rapiat hominum Ordines, Principes et subiectos, nobiles et populares, et, sit venia verbo, barbaros quoque, praeclarissimos ad hoc Ordinis religiosi et civilis viros, rerum publicarum praesides, duces, philosophos, opifices, qui unanimes hunc colant ac revereantur, fatendum est tantum hominem non unum esse de multis, sed quidquam humano maius perpetuoque mansurum!

Iamvero vir prorsus singularis fuit Gulielmus Massaia, apostolicos diuturnos que inter aberrantes atrae Africæ homines perpessus labores, perpetua apud eosdem legatione divina functus, vitamque Romanae Ecclesiae semper efflorescentem praeserens.

Haud facile est igitur breviter colligere eius gesta varia, ampla, ingentia, perturbationibus plerumque obnoxia; sed uberrima semper.

Apud Subalpinos, qui tot praeclaros cum fide, tum humanitate protulerunt viros, ortus est noster, Plebate, in oppido Astensi, die octava iunii anni MDCCCVIII, Ioanne et Maria Bartorelli parentibus, qui nato indiderunt nomen Laurentio.

Primis grammaticae rudimentis domi imbutus, Pralormum ad Gulielmum fratrem, huiusce pagi Curionem, se contulit.

Animam bonam atque acre ingenium sortitus, ad sacra propensum mox se persensit; quod quum domino Longhi, S. Secundi Curioni, aperuissest, persuasum adolescenti est, ut inter Sodales Capulatos adscriberetur; quorum tirocinium Sanctae Mariae ad Agros prope Augustam Taurinorum inchoavit, Laurentii in Gulielmum nomine commutato.

Tirocinio feliciter emenso, primum Cilianum, deinde Montem Calerium studiorum causa missus, vicesimum tertium annum agens, sacris est initiatus, anima-

rum studio eius in corde immensum succrescente. Paucis post mensibus, gravis implicitus est morbo, quo laborans statuit se totum omnino, Praesulibus assentibus, animarum saluti apud exteris gentes, devotum. Cuius devotioni annuit Deus, qui illum ad tantum opus praeleggerat, sanitate illico ac divinitus restituta.

Interim autem a sacris valetudinariis militarium constituitur. Ubi, dum sancti munus Sacerdotis gerit, medicinae et chirurgiae notiones addiscit, futurus olim apud barbaras Africæ gentes medicus simul atque apostolus. Pio munere tres annos functus, philosophiae ac theologiae addicitur tradendae. Deo fisus, humilitate comite, novo excolendo agro se totum devovet, adolescentium sodalium sibi amore atque existimatione conciliatis, qui ipso doctore, optimi oratores piique ad exemplum floruerunt sacerdotes. Neque secundum taxat intra claustra continuit Gulielmi magistri fama doctrinae ac pietatis.

Carolus Albertus, Allobrogum rex piensissimus, filii suis Victorio Emmanueli et Ferdinando Mariae eum a confessionibus adlegit, tantumque Regis in Gulielmum obsequium fuit, ut illum ad episcopale munus designaverit, abnuente omnino humili Patre, qui deinde in Provinciae comitiis « Definitor » eligitur.

Sed quamvis tanto Sodalium atque nobilium et popularium amore floreret et fama, alte semper eius mente repositum manebat consilium et votum, quo se iam pridem obstrinxerat aegrotus, scilicet ad exteris sacras expeditiones se mancipandi. Suam tandem nactus est horam!

Voto adimplendo, causam dedere litterae, quas Antonius D'Abbadie, vir explorandæ atque describendæ Africæ studiosissimus, dederat S. Congregationi Fidei Propagandæ. Quibus eandem Congregationem certiore faciebat Aethiopæ et Gallarum populos, quamvis barbaros, facile posse Catholicae Religionis praeceptis

imbui, missisque piis ac strenuis Missionibus fructus uberes referri.

Consilium paeclari illius viri plurimi habuit S. Congregatio, collatisque consiliis, statuit sacrum apud Aethiopes opus Sodalibus Capulatis committendum. Itaque Venantii ab Augusta Taurinorum, Generalis Capulatorum Ministri iussu, Romanum arcessit P. Guilelmus, statimque sub Paschale tempus anni MDCCXLVI Episcopus titularis Cassiae creatur, dieque xxvi mens maii ad S. Caroli Mediolanensis a Card. Franzoni, Fidei Propagandae Praefecto, Episcopali Consecratione datur. Mox Vicarius Apostolicus eligitur sacrae ad Gallas Missionis, quam eadem Congregatio constituerat.

Voti tandem compos factus, Massaia Episcopus paucis post diebus a Gregorio XVI admittitur audiendus, qui licet decumberet, voluit tamen benigne eum excipere et alloqui. Itaque comparatis omnibus, et Pontificis Summi benedictione suffultus, Centumcellis solvit, quumque Melitam Insulam, Alexandriam et Massauam urbes pertransisset, in oppidum Ada Eualà pervenit, belli fama circa finitima loca diffusa.

Milites autem, clericis Coptis agentibus, Massaiam persecui atque Aethiopia prohibere; qui in specu delituit, donec periculum efflueret; quo transacto militibusque diffugientibus, suum est iter prosequutus. Multos erravit annos per barbaras Africæ plagas, multaque et quotidiana adiit pericula; tandemque, mense Decembri anni MDCCCL in suum ei pervenire Vicariatum licuit.

Quemadmodum strenuus ac prudens dux diligenter loca quae tenet hostis explorat, ut feliciter bellum gerere possit, ita Massaia agrum sibi evangelizandum commissum perscrutatur, atque omne genus difficultates, quae undique aggeruntur perspicit...

At immota fide armatus animoque ad

labores et pericula quaque adeunda parato, deserta loca, pagos, colles, urbes peragratis, cum hostilibus ac barbaris hominibus congreditur, qui eius persaepe iter praepediunt, Principum suspiciones subit, ferarum gentium vexationes, violentiam patitur, tempestatum ac locorum insalubrium asperitatem tolerat, sed in primis coniurationibus obiicitur haereticorum atque Islamitarum, qui contra eum depugnant non armis patentibus, sed occulta plerumque vi, perfida semper calliditate.

Terrenis igitur abiectis armis, apostolus serpentis prudentia, columbae simplicitate, et Christiana mansuetudine usus est: virtutibus hisce suffultus, per omnia illa, in quaे divisa Aethiopia est, regna, loca, cunctas difficultates devicit, deque suis hostibus splendide triumphavit.

Vir animi constantis atque invicti, eloquii gravis, vitae integerrimae, atque laboris rerumque adversarum patiens, sui est omnino voti compos factus, scilicet ad Christianam disciplinam fidemque Aethiopum gentes perducendi.

Quocumque appetebat individuum suum deponebat baculum, ex cedro Libani et ex oliva horti Oliveti efformatum, quem per iocum appellabat lituum suum. Hoc facto cogitabat de exorientis Christianae societatis possessione nanciscenda.

Diu ibidem morabatur ut primaevos illos fideles erudiret, sacro lavacro tingaret, aegrotos curaret, atque inde discedens eos indigenis Sacerdotibus ab se eruditis ac initiatis committebat regendos, qui vel inter insidias atque insectationes fidos se atque intrepidos praebuerunt. Magnam porro sibi apud gentes illas, quas sacris praceptis imbuebat, fidem atque existimationem comparavit sanctae charitatis operibus, in primis autem cura infirmorum, apud quos se non solum ut medium gessit peritum, verum etiam ut curantem benignissimum.

Medicis enim praecēptis, quae in Mauritiano nosocomio didicerat usus, *pusulum* elaboravit, artemque variolas curandi eas inter gentes invexit, nova medicamina expertus est, aliaque medicinae ac chirurgiae inventa adhibuit. Quamobrem maximam apud Principes ac populares adeptus est famam, factus omnibus vere atque omnino utilis. Quae quidem miram morum atque Religionis mutationem protulerunt apud primas illas Christianorum societas, in quibus adolescentis ecclesiae virtutes passim efflorebant.

Sed summa eius industria fuit in opugnanda servitute, quam funditus delebit. Consuetudine usus Imperatorum, quos sibi devinxerat, saepe ad regiam se conferebat, non quidem ut ipsis adularetur, sed ut causam ageret populi vexati, atque mancipiorum catenis constrictorum.

Impavidus vocem attollebat sanctae Christi libertatis nomine et ipsumque saevum Theodorum, mortem aspernatus, adiit, ut iustitiae tueretur iura in tantam hominum turbam proculcata. Nunc autem per pauca servitatis supersunt vestigia, quae sensim evanescunt, quum Aethiopia, in Societatem Nationum adscita, fidem dederit, sese intra definitum tempus servitatem penitus abolituram. Ob tanta pro hominum libertate merita Massaia summis fuit numismatibus donatus a Societatibus Italæ et Gallica contra servitutem.

(Ad proximum numerum).

P. FERDINANDUS AB AVILLANA, C.

DE ADAMANTE

Adamas, carbonii particulae, quas crystalli ad formam terrarum latebrae pariunt, hominum avaritiae quavis aetate supremus veluti thesaurus illuxit.

Sed ex ultimo Oriente huiusmodi gemmae pulcherrimae sunt etiam ad nostros

advectae, earumque acervi poene fabulosi congesti sunt, quorum desiderio regum mercatorumque simul animi exarserunt. Atqui adamas luculentissima gemmarum proles aestimatur, eiusque sub duro cortice quasi mysterium abditum videtur. Eius nomine utuntur passim poëtae, ut lucida quaque significant, roris guttas, stellarum fulgidas faces, virginum ocellos; eius, contra, duritie, ut firma, ut inconcussam recensem amicitiam, fidem, pietatem, virtutem.

Quum adamas e terrae lateribus eruitur, albo veluti cortice, sed opaco, obtectus appareat, cuius ab indumento hominum manibus expoliendus est. Atqui ars nunc viget, qua adamantes optime expolire licet, atque undique per mille facies incidere, quibus lucem remittant.

Maiores, contra, illum rudem adhuc atque subfuscum auro, quasi ad pretium augendum, cingebant. Mox, decimoquinto occidente saeculo, Batavus quidam iuvenis, Ludovicus Berquem, quum binas gemmas ad invicem confricatas mirum in modum expoliri animadvertisset, instrumenta et arma ad rem confecit. Tunc Batavos Carolus ille regebat, quem *Temerarium* aequales appellarunt, Burgundiae dux, bellica virtute et magnificentia notissimus, eratque Brugensi civitati, Ludovici patriæ, nordicarum Venetiarum nomen artium et commerciorum copia tributum. Atqui princeps, divitiarum maxime cupidus, subditi tentamina fovit; tradunt immo post pugnam ad Morah, uno prasertim signo necati principiis corpus recognitum, adamante nimirum splendido, quem in annulo gestabat. *Sancy* adamanti nomen fuit, quem nunc etiam tum figura, tum incisionis callida perfectione septimo loco in adamantum ordine habetur: pretium autem eius decies centenis millibus libellarum et ultra faciunt.

Iberorum reges ex Americae litoribus pretiosissimas gemmas quoque accepérunt,

tantaque copia, ut non gemmarum, sed lapidum in locum eas habere viderentur. Deinde Gallorum reges, Francisci Iaetate, divites fieri per adamantes cooperunt, prae- cipue ob dotem Annae ex Austrorum genere reginae, quae pulcherrimas has gemmas sibi a suis traditas secum contulit. Fibulas illas, quarum ex historia Alexander Dumas commenticiam fabulam exornavit, cui titulus *Ballistarii tres*, reapse Buckingam nobili viro regina donavit. Materni deinde ingenii Ludovicus XIV rex particeps, adamantum callidus aestimator fuit, quorum itaque fulgida luce tum equites, tum matronae certatim sese exornare contenderunt.

Celeberrimus autem adamas est, quem *Regentem* nuncupant, a Ludovico XV emptus heredibus relinquendus. Eum hodie in Louvre aedibus demiramur, gladii capulo defixum, quem Napoleon I imperator, quum sollemniter coronaretur, sibi praecinxit.

In torque illo celeberrimo, qui *Reginae torques* vocatus est, a Boehmer artifice fabrefacto, adamantes pulcherrimi mabant callidissime expoliti, quorum duo a Napoleone III Eugeniae imperiali uxori, nuptialia dona, traditi sunt. Pondus vero gemmarum tantum erat, ut aegre possent auribus sustineri.

Kook Noor, id est « lucis mons », adamantium maximus hodie — quod quidem ego sciam — recensetur; eum Anglorum regina Victoria habuit, ex thesauris regum de Lahore eruptum. Alter pariter, quem *Meridionalem stellam* dixerunt, in Brasilia repertum, apud Angliae regem est. *Orloff* sequitur, cuius nomen ab Orloff principe est desumptum, qui eum Chatariae, Russorum reginae, vendidit. Principi ballistarius quidam Gallus pretio ad-dixerat, qui gemmam ex idioli cuiusdam oculo in India subripuerat; usque ad rerum miserrimam recentem eversionem in sceptro Russorum Caesarum refulsi.

Nostris diebus adamantium gemmas passim minoris quoque ordinis mulieres et viri gestant; nam ex Transvaaliana Africæ regione magna copia advehuntur, neque magnitudine aut pulcritudine Indicis aut Americanis gemmis quidquam invident.

A. C.

CHRISTO RESURGENTI

Ad RAPHAEL PAONE.

Te mundus niveo redimitum lumine vidit,
dulcia qui fidei, munera pacis habet.
Tunc lacerae vestes nitidum vertuntur in
[ostrum],
quae data pauperibus regia dona nitent.
Aegri suscipiunt vires lapsique resurgent,
maesti de lacrimis gaudia sancta trahunt.
Facta benigna suam didicit mors reddere prae-
[dam],
horrida fluctioni flectitur ira maris.
Tu pius oppressos, humiles tu mitis amasti,
tu rex, de supra missus ab arce, Deus.
Ardua per vacuum fundasti maenia caeli,
iussisti rapidis astra micare viis.
Te circum pueri pulchram fecere coronam,
dum tibi ridentes lilia cana gerunt.
Infractis odiis, placidus rex arma refringis
et populos blanda sub ditione tenes.
At vetus infremuit mundus ruiturus in um-
[bras],
pressum vulneribus te cruce fixit atrox.
At tu consurgens alacres revocatus ad auras,
aequa nativi scandis amica poli.
Praecinctum radiis nobis te saecla tulerunt;
est, quae sancta viget, lex tua dulcis amor.
Qui Christum sequitur, magno succenditur
[igni],
omnia devincit virtus amore Crucis.

VINCENTIUS POLYDORI.

BEATO IOANNI BOSCO SALESIANORUM SOCIETATIS INSTITUTORI ANNUO EIUS FESTO RECURRENTE

*Iustus ut palma florebit...
Extendit usque ad mare palmites suos ...
(In Psalmis).*

*Ut palma floret consita montibus
pandens virentes undique palmites,
excelsa succrescens in annos
usque novo cumulata foetu,
et cedrus ingens, quae in Libano micat,
ramosa tendit brachia protegens
aves sub umbra quae perenni
tempore laeta canunt ad astra,
sic iustus ardens igne per intima
cordis Superno a Flamine concito
virtutis et flores refundit
usque novos operumque fructus.
Hic, Musa, Iustum tu memora Virum,
aut quae per orbem mira peregerit,
de more et aspira canenti,
ut meritos recinam triumphos.*

* * *
*Immissa iustis somnia caelitus
non vana quaedam, vera sed indicant
futura, sic Ioseph fuere
somnia, sic Danielis olim;
noster Ioannes talia perficit
vertens in agnos qui fuerant lupi,
conversa dilapsae iuventae
corda petens animasque caelo;
missi hinc frequentes undique convolant
ex urbe in urbes, cogere parvulos,
ut Christus edixit, docere,
quae bona sunt elementa quaerunt;*

*Europa testis, testis et Africa,
Aegyptus, ingens India, Mexicum;
dein permeant qua terra late
cingitur Oceano profundo;
nullum periculum territat ardua
devota Christi pectora militum,
quum rura fraterno cruento
conspiciant madefacta rubro;
sic palma crescens usque refloruit
pandens per orbem lumina gentibus
ceu lux in alto sparsa circum
in tenebris radiata splendet.*

* * *
*Aequa reflorent addita virginum
devincta sacris agmina vinculis
contracta Reginae sub alis,
instar apum generosa proles,
quae mella summis floribus extruunt,
formant puellas moribus integris
laboribus cultusque curis
assiduis sociata fratrum,
praestant et ipsis matre parentibus
curas sequaces, rebus in asperis
amara mulcent, ad salutis
pascua continuata ducunt;
monstratur arbor fructibus optima,
quos ipsa large protulit annuos,
firmata iam radix in alto
non recidet peritura terris;*

*sic alta cedrus grandior exstittit
per bella, caedes, ardua et aspera,
ramosque pandit, queis per aeva
Sponsa manet redimita Christi.*

*Utrisque finis coetibus inditus
Oblata Patri ponitur Hostia
ceu pacis aeternaeque vitae
munera non subitura finem,
tutela praesens addita Virginis
opem ferentis ponitur omnibus
objecta bellis tela et arma
insidiis utriusque sexus;
et visa lusti somnia comprobant
columna duplex in trepido mari
invicta, qua divina navis
illa fuit religata Petri,
servata tandem Moseos agmina
ex hoste duro per mare liberum
sic nocte ducebant dieque
usque nitens duplicata nubes.*

*defende caelo et Pontificem Pium;
qui Te beatis auxit honoribus,
fac desinant quae bella movit
impia gens inimica Christo!*

IOSUE CACACE, Presbyter neapolitano.

COLLOQUIA LATINA

Invitatio ad convivium.¹

FELIX. - Gratissimus est tuus in patriam reditus, Natalis. Iter tuum enarrari mihi vehementer cupio: proinde in crastinum te ad coenam voco.

MARTIALIS. - Serius invitatis: ego Natalem rogavi, cras ut mecum prandeat.

¹ EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit. I. F.

NATALIS. - Vereor ut alterutri possim hac in re morem gerere.

FEL. - Quid causae?

NAT. - In prandium condixi apud socorum meum; vesperi autem non foris, sed domi mihi cum familiaribus coenandum est.

MART. - Quotidie versaris cum familiaribus

NAT. - Ne perurgete, amabo vos; cras mihi foris esse non licet.

FEL. - Si cras tibi ire foras non sit liberum, certe inter hebdomadam apud me sis volo.

NAT. - Non ausim polliceri.

MART. - Cur non?

NAT. - Incidunt ex insperato subinde negotia; promittere nequeo. Conviva insperatus gratissimus: adero non exspectatus.

MART. - Ego velim potius mihi diem constituas.

NAT. - In damnum tuum istud praescire cupis.

FEL. - Hoc damnum ego et Martialis lucro apponimus.

MART. - Certo certius.

NAT. - Quoniam ita vultis, faciam vos biduo ante certiores; at hac lege, ut vos rursus mihi sitis convivae.

FEL. - Evidem do fidem in futurum.

MART. - Et ego recipio.

NAT. - At non incomitatus veniam: comitem adducturus sum unum atque alterum, et eos munitos multa fame.

FEL. - Sequuntur te quotquot voles. Locus est et pluribus umbris.

NAT. - Verum parce sumptibus, obsecro: scis me convivam non multi cibi.

FEL. - Pythagorica coena te exceptum dices: adeo erit frugalis.

NAT. - Sufficiunt quotidiana; praeterea nihil paraveris.

FEL. - Fiet ut mones: tu fac ad septimam, non ultra, hic adsis.

NAT. - Curabitur.

Libri dono accepti.

D. D. A. TRAZZI. *Vergilius redux*, seu de vita recentiore. - Saeculo vicesimo a P. Vergili Maronis ortu exeunte, Asulis, ex typis Scalini et Carrara (ven. ital. lib. 7).

IDELFONSO CLERICI B. *Regali utili per i nostri giovani*. - Mediolani, ex officina S. Foderis Eucharistici, 1931.

Mons. FRANCESCO OLGIATI. *Un maestro di Fede e di Vita* (Vico Necchi). - Mediolani, ex off. editrice «Vita e Pensiero», 1930.

LUIGI CHIESA. *Torino e le sue glorie religiose*. - Augustae Taurin., typis E. Schioppo, 1930 (ven. lib. 5).

¹ Cfr. fasc. sup.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive pracepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 383. - *Hippocrates* magnam solidorum rationem habuit; de nullo remediorum genere meminit frequentius, quam de balneationibus, lotionibus, embrocis, frictionibus, unctionibus, succussionibus, sacculis exsiccantibus, vel humectantibus, et cuiuslibet modi exercitationibus, quae immediate agant in solida et ipsorum, ut et fluidorum per ea circulantium, vitium corrigunt. Sed facto prius solidorum et fluidorum examine, ab utro ipsorum morbus pendaat investigandum.

§ 384. - Aliud vitium solidorum est eorum siccitas, irritatio, crispatio et convulsio, unde fluidorum cursus, ob fibrum videlicet nimiam resicationem, impeditur. In quo casu non aëria et volatilia remedia iuvant, sed anodyna, emollientia, humectantia, balneationes nempe, lotiones pedum, calida fomenta, emulsiones seminum, decocta radicis altheae et seminis lini copiose per os sumptae, oleum amygdalarum dulcium, etc.

§ 385. - Magni resert scire quis fibrum status sit, in singulis morbis, laxusne sit, an intentus; an fluidum seri et solidi culpa haereat alicubi; et si solidi, an laxati, vel vero crispati contractique.

§ 386. - *BAGLIVUS* saepe expertus est eos qui proximi sunt, ut in febrem viscerum incident, plures ante dies nulla in parte evidentius, quam in lingua futurae affectionis signa percipere; in qua, loco naturalis saporis, amarum, viscidum, acidum, aut salsum, praesertim circa horas matutinas cum magna virium lassitudine,

et inappetentia observant, certo indicio, huiusmodi affectuum causam, vel a vitiata rendere saliva, vel eam esse laesae chilificationis, et inde nati morbi primum ac praecipuum signum. Neque solum saporem, sed et colorem linguae mutatum morborum initio cernimus; nam ex naturali rubro mutatur in fuscum, viscido nigrum, flavum cum siccitate et asperitate.

§ 387. – Item ex habitu oris spirantis odorem vitrioli, albuminis, cibi corrupti, vel aliorum odorum nares ferientium, medicus in cognitionem venit penantis lymphae, crudi apparatus mesenterici, stomachici, scorbutici.

§ 388. – Placet BAGLIVIO opinio existimantium morbos epidemicos et contagiosos, mediante saliva ab infecto aere conspurcari, cui pariter experientia suffragatur: contagio affecti conqueruntur incommoda circa ventriculum et hypochondria, scilicet nauseam, vomititionem, pravum linguae saporem, anxietates, vomitus, cardialgias, calores viscerum.

§ 389. – BAGLIVUS ex linguae, salivae et totius oris habitu, febrem lymphaticam, vel mesentericam cognovit.

§ 390. – BAGLIVUS in Dissertatione de salivae natura, usu et morbis, accurate morbos ex peccante lympha ortos describit.

§ 391. – In defectu bilis, vel eius inertia, optime profuit saepius masticatio rhabarbari statim ante prandium.

§ 392. – Ingens morborum series pendet a depravata chyli in duodeno purificatione. Chronicorum enim fere omnes ab hoc fonte originem trahunt, et a morboso primarum viarum acido. Item innumeri viscerum naturalium acuti morbi cum lumborum et hypochondriacorum pravis affectionibus; ut et omnes fere cutis, et quamplures aliarum partium affectiones, quas obstructions vocant medici.

§ 393. – Experientia didicit BAGLIVUS pueros lenta febricula cum macie, siti, inappetentia, pallore vultus, tensione, calo-

reque hypochondriorum ex alvo nunc lubrica, nunc adstricta laborantes, usu remediiorum, quae stomachica dicuntur, aromatica et deobstruentia, peius habuisse, praefatisque symptomatibus accessisse sudores nocturnos, maciem maiores, et magis acrem febris calorem, ac fere proximos fuisse, ut marasmo corriperentur. Sed, re perpensa, non erat tam ventriculi debilitas, quam potius amurcosa bilis, acris, viscida, circa iecur, vicinasque partes collecta, etc. Danda potius sunt medicamenta bilem diluendo temperantia et per alvum subducantia. Iuvat infusum foliorum senae, manna, serum lactis tamarindinatum, et rheum. Subinde emollientia interna et externa adhiberi debent, ut crispatae ab acri materia fibrae relaxentur. Saepe enim perperam intus dantur medicamenta, nisi habita solidorum ratione, per externa obviam eamus morbo.

§ 394. – Alia methodo uti debemus in curatione icteri a bile viscida, amurcosa et inertis, circa iecur impacta; alia vero ab eadem, dum copia peccat et acrimonia. In primo casu prosunt ea quae concretionem bilis solvunt, et amissam fluiditatem restituunt. Purgantia leniora ex cremore tartari, etc., aquae purgantes, diureticæ; diluta eductaque bile, prosunt deinde corroborantia.

§ 395. – At in ictero a copia bilis, tenuitate, et acrimonia, utendum diureticis, diluentibus, nitratis, quae illam contemperare valent.

§ 396. – Si bili addatur mucago acida-viscida, ea brevi in calculos felleos concrescit, ea ratione, qua quis, ex intemperantia vini lactisque, diu simulque ingurgitatis brevi tophos, calculosque patietur. Ex quibus ratio reddi potest, cur eximentibus calculis in vesica fellea, germinent quoque in urinaria et contra. Calculosis et ictericis minerales acidulæ op time convenient.

(Ad proximum numerum). I. FAM.

ROMA SACRA

Supremæ S. Congregationis S. Officii decreta de « educatione sexuali » et de « eugenica », et de quorundam scriptorum libris.

I.

Post celeberrimas Pii Pp. XI Encyclicas litteras tum de christiana iuvenum educatione, tum de matrimonio christiano, quas in superioribus Commentarii nostri fasciculis late resumpsimus, quasi eorum appendix, a Suprema Congregatione S. Officii die XXI mens. Martii proxime elapsi decretum editum est de *educatione sexuali* et de *eugenica*.

Quum scilicet ei quae sequuntur dubia proposita fuerint:

I. An probari queat methodus, quam vocant, *educationis sexualis* vel etiam *initiationis sexualis*?

II. Quid sentiendum de theoria sic dicta *eugenica*, sive « positiva » sive « negativa », deque indicatis ab ea mediis ad humanam progeniem in melius provehendam, posthabitis legibus seu naturalibus seu divinis seu ecclesiasticis ad matrimonium singolorumque iura spectantibus?

Eñi ac Revñi DD. Cardinales fidei moralumque integritati tuendae praepositi, diligenti examine discussa præhabitoque Revñorum Patrum Consultorum suffragio, in Generalibus comitiis habitis die XVIII mensis Martii MCMXXX, respondendum decreverunt:

Ad 1. *Negative*: et servandam omnino in educatione iuventutis methodum ab Ecclesia sanctisque viris hactenus adhibitam et a Ssño Domino Nostro in Encyclicis litteris *De christiana iuventae educatione* datis sub die 31 Decembris 1929 commendatam. Curandum scilicet imprimis plenam, firmam, nunquam intermissam iuventae utriusque sexus religiosam institutionem, excitandam in ea angelicae virtutis aestimationem; desiderium,

amorem; eique summopere inculcandum ut instet orationi; Sacramentis Poenitentiae et Ssñae Eucharistiae sit assidua; Beatam Virginem sanctae puritatis Matrem filiali devotione prosequatur eiusque protectioni totam se committat; periculosas lectiones, obscoena spectacula, improborum conversationem et quaslibet peccandi occasiones sedulo devitet.

Proinde nullo modo probari possunt quae ad novae methodi propugnationem, postremis hisce praesertim temporibus, etiam a nonnullis catholicis auctoribus, scripta sunt et in lucem edita.

Ad II. Eam (« eugenicam ») esse omnino improbandam et habendam pro falsa et damnata, ut in Encyclicis litteris de matrimonio christiano *Casti Connubii* datis sub die 31 Decembris 1930.

Hanc autem Eñorum Patrum resolutionem Ssñus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, sequenti feria V, die XIX eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adserori impetrata, plane approbare et confirmare dignatus est, eamque publici juris fieri mandavit.


II.

Per aliud eiusdem S. Congregationis decretum damnata, proscripta atque in Indicem librorum prohibitorum relata sunt articulus sub verbo « Messianisme » a Sacerdote Ludovic Dennefeld editus in *Dictionnaire de Théologie Catholique*, Paris, Librairie Letouzey et Ané (columna a 1404 ad 1568), et eiusdem Auctoris liber, cui titulus *Le Messianisme*, Paris, Librairie Letouzey et Ané, 1929.

Decreto autem d. VI Martii damnatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est liber, cui titulus: P. Martial Lekeux, *L'Ami* (Paris, Editions Saint-Michel).

Denique per decretum subsq. d. XIV martii damnatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est Doctoris Th. H. Van de Velde (olim Directoris clinices gynaecologicae in civitate Harlemensi) liber, cui titulus *Het volkomen huwelijk* (latine: *Matrimonium*

perfectum), servato Codicis I. C. can. 1396, vi cuius « libri ab Apostolica Sede damnati ubique locorum et in quodcumque vertantur idioma prohibiti censentur ».



ANNALES

Pactio inter Austriam et Germaniam proposita.

Praecipuus gentium eventus superiore mense fuit pactio, quam Germania et Austria exteris guberniis nuntiarunt sese inituras de vectigalibus mutuo solvendis circa res, quae hinc inde importandae vel exportandae essent. A Gallia et Czechoslovakia statim reclamatum est et in fidem publicam edictum, hoc contra Societatis Nationum regulas factum esse; Anglia et Italia nonnullas explicationes requirunt... Germani Austriæ administrari, ex parte sua, pluribus verbis testantur, pactionem intra limites commerciorum contineri, nec itaque tot rumorum esse causam; sed tamen politicae mentis exclusioni perpauci credunt, ita ut etiam non desint qui interventum Societatis Nationum et Hagensis coetus invocent, contra periculum unionis in civitatem unam Austrorum et Germanorum, quam valde timent.

* *

Indica conventio.

Colloquia, quae in superiore numero nunciavimus in Indis haberi inter Gandhi, pacifcae seditionis principem, et Anglorum legatum, nisi ad certam discriminis solutionem, ad inducias quasdam res adduxerunt, per quas « inobedientia civilis » et interclusum cum Anglis commercium cessarunt, recognitis et aliqua libertate aliquis iuribus Indorum populo.

³ Ex litteris Fr. Hilarii ad Hugonem della Faglia italice transcripsit IOANNES BOCCACCIO in *Dantis vita*.


Motus

Rebellio Peruviana quoque finem assequuta esse dicitur, discessu Sanchez Cerro in Europam, suae valetudinis - ut ille dixit - curanda gratia. Constitutum itaque est gubernium pro tempore; donec scilicet nova comitia facta fuerint.

Interim seditiones et ex Madera insulis audiuntur, quas Lusitanorum gubernium per vim sedare est coactum.

In Hispania denique motus passim fiunt, neque datum est apprime cognoscere quo res sint perventurae. Fortasse indicium indigitabunt municipum comitia; quae ad diem XII mens. Aprilis indicta sunt.

POPLOCOLA.



VARIA

Dantes ad Corvi coenobium.¹

Huc venit Aligherius per Lunensem dioecesim iter faciens, sive loci religione, sive alio quovis affectu permotus. Quem mihi sodalibusque meis ignotum quum conspexisse, quid vellet, quidve quaereret sum percunctatus. Nihil respondit, sed tacitus claustris columnas trabesque contemplabatur.

Rursus quid velit, quidve quaerat, rogo. Tunc ille lente caput flectens, sodalesque atque me intuens: « Pacem » respondit. Quare maiori ego accensus cupiditate hominem eiusque originem cognoscendi, seorsum abductum, haud multis habitis secum verbis, agnovi. Quamquam enim nunquam antea videram, eius tamen fama iam pridem ad nos pervenerat. Quum vero me ab suo ore pendentem, avidissimasque aures praebentem vidi, librum e sinu eduxit, illudque apertum obtulit mihi, di-

cens: « Ecce, frater, operis mei partem, tibi forsitan ignoti; hoc tibi *mnemosynon* relinquo, ne mei obliviscaris ».

Librum vero oblatum animatissime complexus sum, atque avidissime coram ipso, in eundem oculos defixi. Sed quum librum vulgari sermone conscriptum vidisse, atque eius rei admirationem vultu significarem, causam rogavit. Dixi, micari me quod ipse ea lingua cecinisset; quia difficile videbatur, imo incredibile, nobilissimas eas sententias verbis vernaculis posse exprimi; nec par videbatur tantam tamque dignam scientiam plebeio illo habitu indui. Ipse autem respondit: « Iure id censes quod et ipse cogitavi; et quum principio istarum rerum semina in me forte divinitus infusa germinare cooperunt, quae dicendi ratio dignior videbatur, illam elegi; nec modo elegi, sed statim ita scribere coepi:

*Ultima regna canam fluido contermina mundo,
Spiritibus quae lata patent, quae praemia solvunt
Pro meritis cuicunque suis...*

« Sed quum cogitavi, quae huius aetatis esset conditio, vidique illustrum poetarum carmina fere nihil aestimari, et quum conspexi magnanimos viros, quorum gratia optima aetate haec scribebantur, (heu dolor!) liberales artes in manibus plebeiorum hominum deseruisse, tunc parvulam liram, quae mihi a latere pendebat, proieci, et aliam quae recentiorum auribus probaretur, sumpsi; quia durior cibus lactentis ori frustra porrigitur ».

His dictis, alia insuper sublimibus cum sententiis addidit ...

Turdus et Hirundo.

Dicebat ad matrem Hirundo: « O mea mater, quam elegantem et commodum sponsum sese mihi praebuit! » — « Quemnam, mea filiola? » inquit illa. — « Turdum », inquit Hirundo. Tum mater: « Mea filia, non bene illi tecum conveniet, quum

tu frigus ferre nequeas, ille calorem; et tu ver sequaris, ille brumam petat ».

Monet fabula, ut in amicitia iungenda voluntatem et studiorum, atque vitae similitudinem spectemus.

* * *

Iocosa.

TUCCUS condiscipulo cuidam:
— Eetur mane in schola non adfueristi?
— Dentium medicum adire sum coactus.
TUCCUS: O te felicem!

TUCCUS scientiae musicae periculum facit. Rogat Magister:

— Sonorum gradum mihi numera.
TUCCUS: — Do, Re, Mi, Fa...
— Optime quidem. Nunc autem aliquem musicum accidentem enuntia.
— Quum cymbalus dirumpitur!

* * *

Aenigmata.

(a socio THOMA GARRIDO proposita).

I.

Prima-secunda animal; flos vero tertia-quarta;
iunge duas partes, nomen et ecce viri.

II.

Prima forte petens, grunnire adverto secundam,
quam fune apposito totus agebat herus.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) Ar-bos; 2) Merus,
Taurus, Metaurus.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

AD SEPULCRUM

[10]

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

SAT. Quid audes? Condemnasti inno-
[xium!]

Eum malorum premet sed invidia,
Clamat tumultu debilem te sciens,
Et ad supplicium damnas tetterimum.
Una sperandi te salutem spes manet...
Aperte dicam quod tibi agendum brevi.
Eris si capax, novos sume spiritus,
Alumnos ceteros magistri compéri,
Ictu unico vexa, plecte ad interitum.
Adhuc pauci sunt, erunt multi in poste-

[rum.]

PIL. Magister sed est innocens, discipuli

Erunt extemplo cur damnandi capit?]

SAT. Hoc, hoc face! Et te monstra Roma-
[num virum;

Sic tu Tyberium liberabis hostibus.
Secus... movebo denuo Ierusalem;
In te virorum conferam discordias,
Et illud civium turbulentum genus,
Qui te detrectent, provocent Tyberio,
Romanis esse maximo periculo;
Brevique rupem te videbo scandere...

PIL. Et ipse scribam divo mox Tyberio,
Ut quae evenere resciat per ordinem.
Satis non est in te praesidii, miser!

SAT. Infelix! dicis quid, in me quid blate-

[ras?]

Movebo quidquid est in Urbe dextera,
Movebo cives, quin tentabo mortuos...
Tuum, Pilate, destruam praesidium.
Ero tibi vulnus, funus perpetuum!

PIL. Nil ultra timeo Iesum quod damnave-

[rim!]

Quid est? Vix dixi nomen hoc, dispa-
[ruit...]

¹ Satanas, Iesu nomine auditu, magno fragore
disparet.



SCENA XIV.

CAIPHAS, ANNA et alii Scribae, PILATUS.

PIL. En adsunt improbi criminis socii!
Suis qui verbis, insultationibus,
Ad omnium crimen falsum, turpissimum,
Egerunt me, pravum fecerunt iudicem.
Meam fuisse si secutus coniugem,
Meo molestias quo vitasse capite!
Dixerunt ipsum surrexisse milites,
Eum vidiisse gloriae luminibus
Undique fulgidum cum multis geniis,
Suum sequebantur qui regem nobilem.
Fuerunt ipsi, qui remoto lapide,
Viam panderunt exeunti principi.
Erit quid in posterum?

CAIPH. (Pilate) Nos iam diximus
Ut omnibus dicant, ipsis dormientibus,
Eum discipulos transtulisse clanculum...

PIL. Et ipsi?

CAIPH. Magna capti vi pecuniae
Ita per urbem differunt notitiam.

PIL. Et cives?

ANN. Afferunt large mendacum...

PIL. At, at...

CAIPH. Quod asseris?

ANN. Quid tecum mussitas?

PIL. At ipse vivit! Victurusque in saecula,
Sui velint, vel nolint adversarii...
Ei fatenti credere nos negavimus,
Invidia capti, summa vel superbia...
Adversa nostra perperam sententia erat.
Deus verax et Filius Dei!

OMNES. Novi quid asseris?

CAIPH. Tu ergo discipulus
Eius? Tu iudex qui vocaris Israël?

(Ad proximum numerum).